



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

IX. De prædicatione actuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Deus possit facere vniuersale cognitione immediatè terminatà, ad cognitionem, ex vi cuius illam conficio, in qua cognoscat indiuidua eà ratione, quā ego eadem cognosco pendet ex difficultate, quam Theologi tractant i. part. quest. ... an videlicet dicat imperfectionem in Deo ipsum confusè obiecta cognoscere in medio, quod tantum determinat ad illa confusè cognoscenda, in qua quidam dicunt cognitionem imperfectionem inuoluere, in quorum sententia dicendum est Deum nullo modo posse facere vniuersale. Alij negant huiusmodi cognitionem aliquam in Deo imperfectionem importare, iuxta quos dicendum est, Deum posse facere vniuersale non cognoscendo in se ipsa immediatè naturam, sed in cognitione creata, ex vi cuius confusè omnia indiuidua cognoscuntur, & instar vnius naturæ indiuiduè representantur. Quæ harum sententiarum verior sic alienum est ab hoc opere definire.

11 Eadem ratione respondendum questioni inquirenti, an vniuersale fiat à potentia Angelica, quæ dependet ex modo, quo Angeli cognoscunt, si enim Angelo non repugnet species aliqua, ex vi quarum confusè, & instar vnius ea, quæ in re sunt plura cognoscat, non repugnabit ab Angelo per hanc cognitionem vniuersale fieri. Si verò Angelus huiusmodi cognitionem habere non possit, non poterit ab illo fieri vniuersale. An verò huiusmodi species Angelus de facto habeat, & an illi repugnet à Theologis definiendum est.

12 De nomine tantum est questio. An vniuersale possit fieri à voluntate, certum enim est voluntatem posse ferri in obiectum eadem ratione, quā ab intellectu proponitur, & propositis pluribus indiuiduis instar vnius naturæ indiuiduè per cognitionem, ex vi cuius fit vniuersale, posse eademmet obiecta, ac si essent vnum, sine aliqua ipsorum distinctione amare. Ob hanc rationem quidam affirmant voluntatem facere vniuersale, quia amat obiecta, quæ in se sunt plura, ac si essent vnum indiuiduum obiectum. Alij negant ex hoc capite dici posse à voluntate posse fieri vniuersale, quia voluntas non præcindit illud obiectum, sed illud supponit præcsum. Non acquiesco huic rationi, quia etiam obiectum supponit præcsum, potest iterum, & iterum præcindi, quia præcindi nihil aliud est quàm hac ratione attingi actu intentionali, & postquam hac ratione attractum est per hunc actum, potest per alium, & alium actum eadem ratione attingi. Alij melius negant vniuersale fieri à voluntate, quia volitio quantumvis obiectum præcsum agnoscat, illud non constituit præcabile, quia ab ipsa voluntate non potest prædicari, neque immediatè ex ipsa volitione intellectui vt præcabile representatur.

13 Ob eandem rationem negandum est fieri vniuersale à sensibus externis, & interno, quia sensus prædicationes non eliciunt, neque sensatio immediatè proponit intellectui obiectum præcabile, est verum fit aliquando percipere simul duo obiecta adeò imperfectè, vt instar vnius sensui appareant, vt contingit cum à longè videmus plura obiecta, in quibus distinctionem sensus non percipit, sed instar vnius indiuidui illa, quæ in se diuisa sunt intuetur.

PUNCTUM IX.

De predicatione actuali.

1 **P**redicatio est actus potentie prædicabilis, ideo postquam vniuersalis prædicabilitatem explicauimus ad actuale prædicationem descendimus. Prædicatio est enunciatio vnius de alio, de qua in præfati tantum agimus, quatenus his, vel illis terminis sub hac vel illa subiecti, & prædicati dispositione constat, in præfati que suscepimus explicandum, quomodo inter se in ratione subiecti, & prædicati possint & debeant termini comparari, vt prædicatio vera euadat.

2 Duplex est prædicatio; quædam directà, alia indirecta. Prædicatio directà est illa, in qua subiectum est inferius, & prædicatum superius, vel si sint inæqualia prædicatum se habet per modum forme respectu subiecti, sicut in his propositionibus, *homo est animal; homo est rationalis*. Prædicatio indirecta est, in qua prædicatum est inferius subiecto, vel si sint æqualia, subiectum ex sese habet veluti formam prædicati, sicut in his propositionibus, *animal est homo;*

Franc. de Ouedo, Philosoph. tom. I.

rationalis est homo. Rursus prædicatio alia est formalis, alia identica. Identica est illa, in qua subiectum non solum est idem cum prædicato, sed in qua subiectum eodem omnino modo ac prædicatum apprehenditur, vt in hac propositione, *Petrus est Petrus*. Propositio formalis est illa, in qua subiectum & prædicatum diuerso modo significantur vt in hac propositione, *animal est rationale*.

3 Cæterum in omni propositione formali est identitas inter subiectum, & prædicatum, quæ in omni propositione vera semper identificantur, vocatur autem identica propositio, quando subiectum & prædicatum obiciuntur eodem modo, quia tunc est pura identitas non solum conceptuum obiectiuorum, sed etiam formalium, in hac enim propositione, *Petrus est Petrus*, non reperitur vnus conceptus ex parte subiecti, & alter ex parte prædicati, sed idem bis repetitus, quod non reperitur in propositione formali, in qua etsi sit identitas in conceptibus obiectiuis, non hæc in formalibus reperitur. Hinc est, quod in his propositionibus formalibus, quædam sint veræ tantum ratione identitatis, quam continent obiectiui conceptus; alie verò non solum ratione identitatis, sed ratione conuenientie. Exemplum priorum sint hæc propositiones *alio est passio; iustitia Dei est misericordia*, licet non sint formales, veritatem desumunt non ex aliqua conuenientia forme ad subiectum, vel superioris ad inferius, aliisve rationis, quæ sit inter extrema, sed propter puram identitatem. Hæc autem conuenientia est vt prædicatum, & subiectum habeant aliquem ordinem, vel generis ad speciem, vel speciei ad indiuiduum, vel differentia ad speciem quam componit, vel ad genus, quod contrahit, vel forme ad subiectum.

4 Hinc inferes ad propositionem veram purè formalem tria requiri; identitatem subiecti cum prædicato; diuersum modum significanti; ordinem inter prædicatum ad subiectum, superioris ad inferius, vel subiecti ad formam siue physicam, siue metaphysicam, siue accidentalem. Hinc est quod prædicatio generis de speciebus, & speciei de indiuiduis sint formales, quia sunt prædicationes superiorum ad inferiora, & prædicationes tertij, quarti & quinti prædicabilis, quia sunt prædicationes formarum, quæ physicè aut metaphysicè subiectum afficiunt.

5 Insuper animaduertendum est terminos prædicationum aliquando esse nomina abstracta, aliquando concreta. Rursus tam concreta, quàm abstracta, quædam sunt accidentalia, alia substantialia. Concreta dicuntur, quando significantur non solum forme aut subiecta nuda, sed forma connotans subiectum, aut suppositum, vel subiectum, vel suppositum vèritum formam. Abstracta dicuntur quando significantur forme præcisæ, vt humanitas & albedo. Insuper vtraque concreta aliquando significantur substantiue per modum per se stantis, aliquando adiectiue, seu per modum alteri adiacentis. Concreta substantialia substantiua sunt homo, & equus; adiectiua animatum, & humanatum. Concreta adiectiua sunt album, & dulce; substantiua arrifex, & creator: addunt nonnulli huiusmodi complexa albedo in pariete, dulcedo in saccharo. Tandem concreta, & abstracta, quædam sunt primæ intentionis, quæ independenter ab intellectu suas habent entitates sicut homo, & humanitas, album, & albedo; quædam secundæ intentionis, sicuti genus, & species, genereitas, & specieitas. Frequens est apud aliquos vsus horum nominum substitutum, & constitutum, ne tamen vocis nouitate terrearis, scito constitutum esse idem, quod concretum, quod ex forma & subiecto constituitur, seu constitutum est, & substitutum dici subiectum, quod forme subternitur.

6 Supponendum est etiam tam concreta accidentalia, quàm substantialia significata per modum adiectiui dicere subiectum in recto, & in obliquo formam, album enim idem est, ac habens albedinem, & animatum idem importat, ac habens animam. Deinde suppono concreta substantialia substantiue significata significare in recto naturam, & in obliquo substantiam, homo enim idem est ac natura humana cum substantia. Hæc propositio non est certa apud omnes, illam tamen optimè propugnat P. Valsq. tom. 2. i. partis disp. 135. num. 8. & 18. Abstineo à rationibus, quas adducit P. Valsquez, quia Theologica sunt, quandamque ad Philosophiam spectantem breuiter subiicio. Hæc est vera propositio *homo est constans corpore & animâ*: ergo id, quod ponitur ex parte subiecti est natura, & non substantia, quia de hac non dici potest constare corpore & animâ,

H 3 sicuti

sicuti de natura dicitur, prædicatum autem debet verificari de illo, quod ex parte subiecti in recto ponitur, non de illo, quod ponitur in obliquo. Item suppono concreta accidentalia substantiæ simpliciter nomine significata dicere subiectum in recto, & formam in obliquo, dicimus enim, *artifex est homo: artifex est muscus*, propter identitatem subiecti, quod signum est in recto significari, quia identitas illorum, quæ in recto significantur ex parte subiecti, & ex parte prædicati, est quæ conducit ad veritatem propositionis. Concreta accidentalia his complexis significata, *albedo in pariete, dulcedo in saccharo*, dicere formam in recto, & subiectum in obliquo per se notum est. His præmissis, de his omnibus terminis explicandum est, quomodo in propositione vera possint inter se comparari, quod iam nonnullis conclusionibus trado.

7 Dico primò: Concreta superiora, siue accidentalia, siue substantia, & inferiora de superioribus rectè prædicantur. Prior pars per se patet, natura enim superior essentialiter conuenit inferiori, ut homini esse animal, albo esse coloratum. Posterior faciliè suadet, quia quando dicimus, animal est homo, coloratum est album, idem est ac dicere aliquod animal est homo, aliquod coloratum est album. Ratio est, quia prædicatum se habet per modum accidentis ad subiectum, in propositione autem, cuius prædicatum est accidens respectu subiecti, subiectum indefinitum æquivalens particulari, ex quo oritur differentia inter prædicationem superioris de inferiori, & inferioris de superiori, quod illa possit affici signo vniuersali non ista.

8 Dico secundò: Abstracta superiora, siue accidentalia, siue substantia possunt prædicari de inferioribus, & inferiora de superioribus, hæc in propositione particulari, & illa in vniuersali. De abstractis accidentalibus conueniunt omnes, certum enim est prædicari *albedo est color*. De substantiis negant plurimi, existimant enim dici non posse, *humanitas est animalitas*; ratio disparitatis est, quia illa abstrahuntur tantum à subiecto, & non ab essentia, quæ abstrahio est physica, non metaphysica, ab proinde manent albedo, & color abstracta à subiecto, metaphysicè concreta, sicut homo, & animal. Cæterum licet hæc differentia vera sit, affirmo nihilominus hanc prædicationem veram esse *humanitas est animalitas*, quod sic probo. Hæc propositio est vera *homo est animal*: ergo & ista *humanitas est animalitas*. Respondent auctores oppositæ sententiæ negando consequentiam, quia homo & animal prædicantur connotando idem suppositum, & ita ratioe suppositi communis verè prædicantur, sicuti ratione subiecti communis hæc sunt veræ propositiones *album est coloratum*, etiam si albedo non esset color, sicut hæc *album est dulce*, & sic similiter *homo est animal*.

9 In multis displicet solutio, primò quia sicuti iuxta communem sententiam quælibet pars physica habet suam substantiam physicam physicè distinctam; sic partes metaphysicè distinctæ debent habere suas substantias metaphysicè distinctas, ac proinde in homine, & animali substantia non erit metaphysicè eadem, quod eodem modo continget in humanitate, & animalitate. Secundò: si hæc propositio *homo est animal*, tantum est vera, quia humanitas, & animalitas connotant idem suppositum: ergo non est vera in sensu formali, sed tantum in sensu identico. Probo consequentiam, hæc propositio *album est dulce*, tantum est vera in sensu identico, quia non verificatur ratione formarum, sed ratione obiecti communis: ergo si hæc propositio *homo est animal* non verificatur ratione humanitatis & rationalitatis, sed tantum, quia suppositum harum formarum est commune, tantum erit vera in sensu identico, & non in sensu formali, & eodem modo dicitur, *homo est animal*, ac dicitur *Deus est homo*, sensus enim illius propositionis erit suppositum, quod est homo, est animal, sicut sensus huius est suppositum, quod est Deus, est homo.

10 Dico tertio: Abstracta differentiarum non prædicantur de abstractis generum in sensu formali, sed tantum in sensu identico, neque de abstractis aliarum differentiarum superiorum, hæc enim propositio *rationalitas est animalitas*, vel *rationalitas est sensibilitas*, tantum sunt veræ in sensu identico. Hæc conclusio constabit ex dicendis Controv. I. Metaph. Punct. 4. ubi probo differentiam infimam non includere formaliter subalternam neque genus. Idem dico ob eandem rationem de differentiis infimis respectu differentiarum subalternarum, & respectu generum. Huiusmodi

differentias illiusque rationes abstractas in sensu identico prædicari, certum est apud omnes.

Dico quartò: Abstracta non possunt prædicari de concretis substantiis, neque accidentalibus adiectiue significatis, hæc enim sunt falsæ prædicationes *album est albedo*, *animatum est anima*, quia id, quod significatur in recto ex parte subiecti, subiectum videlicet non identificatur cum prædicato. Ob eandem rationem non possunt hæc concreta prædicari de suis abstractis, non enim possumus dicere *albedo est habens albedinem*. Obiter nota de his concretis prædicari eorum substituta, rectè enim dicitur, *paries habens albedinem est paries*; corpus habens animam est corpus, ratio est, quia prædicatum identificatur cum subiecto rectè significato, etiam si non identificetur cum illo, quod indirectè significatur, quod non refert ad veritatem propositionis. Hanc doctrinam attentè obserua pro veritate plurium propositionum.

Dico sextò: Abstracta essentialia transcendentia possunt prædicari de quibuscumque concretis, dicimus enim *album est entitas*, & *homo est entitas*, ens est entitas. Hæc propositio inconcussa est apud omnes, ratio illius desumitur ex transcendentia prædicati, ratione cuius cuiusque subiecto formaliter conuenit.

Dico septimò: Abstracta substantia possunt prædicari in sensu identico de propriis concretis, & si subiectum afficiatur signo demonstratiuo erit prædicatio formalis superioris de inferiori, hæc enim est vera prædicatio *homo est humanitas*. Hanc conclusionem tradit Arriaga disp. 7. sect. 10. subiect. 2. quam efficaci ratione probo. Homo dicit in recto naturam, & in obliquo personalitatem: ergo idem est homo ac natura humana cum substantia: ergo sicut hæc propositio est identicè vera, *natura humana cum substantia est natura humana*, ita hæc erit vera *homo est humanitas*. Probo antecedens: subiectum & prædicatum secundum id, quod dicunt in recto sunt idem, & sicut ob hanc rationem hæc est vera propositio, *paries habens albedinem, vel cum albedine, vel connotans albedinem est paries*, quia etiam id, quod significatur ex parte subiecti in obliquo non identificatur cum prædicato, identificatur quod significatur in recto, sic est ista propositio, *natura humana cum substantia est natura humana*: ergo & hæc, *homo est humanitas*, quia in vtraque propositione idem formaliter ponitur ex parte subiecti, & ex parte prædicati.

14 Quod si subiectum afficiatur signo demonstratiuo prædicationis superioris de inferiori: faciliè suadet, quia sicuti hæc propositio *homo est homo* est idètica, & hæc est formalis, & specifica *hic homo est homo*, sic ista, *natura humana cum substantia est natura humana*, erit idètica, & hæc erit specifica, hæc natura humana cum substantia est natura humana, quia in vtraque dicit prædicatum rationem subiecti à differentiis indiuidualibus præcisam.

Dico octauò, non valere ad conuertentiam *homo est humanitas*: ergo *humanitas est homo*, quia licet in priori propositione prædicatum identificetur cum subiecto, tamen arguit à non restricto ad restrictum, in quibus non valet affirmatiue consequentia, quia homo, est tantum dicat naturam humanam in recto, dicit illam restrictam per connotatum in obliquo, ac proinde latius ex se patet prædicatum, quam subiectum in hac propositione *homo est humanitas*, & ita ad conuertentiam non dicuntur, sicut enim dicimus, *est pallium Petri*: ergo *est pallium*, non tamen licet inferri *est pallium*: ergo *est pallium Petri*, sic licet inferri *est humanitas cum substantia*: ergo *est humanitas*, non tamen licet arguere, *est humanitas*: ergo *est humanitas cum substantia*. Hæc ita distinctè exposui ne quis iudicaret inferri ex nostris principiis, quod aliqui rem non percallentes ex hac propositione *homo est humanitas* inferebant, videlicet veram esse futuram hanc propositionem, *Deus assumpsit hominem*, quæ aliena est à vera & Catholica doctrina, neque ex his quæ diximus potest inferri, quia homo dicit naturam cum substantia, & etiam si vera sit hæc propositio *Deus assumpsit humanitatem*, falsa est hæc *Deus assumpsit hominem*, quia est dicere *Deus assumpsit humanitatem cum substantia*, quod est falsum. Sed nonnulli hoc modo nobis obiciunt: homo est humanitas: ergo humanitas est idem cum homine. Sed sic est quod Deus assumpsit humanitatem: ergo assumpsit hominem. Respondeo concedendo primum antecedens, & distinguendo consequens: ergo humanitas est idem cum homine, secundum quod homo dicit in recto, concedo: secundum quod dicit in obliquo

obliquo, nego. Deinde concedo minorem, videlicet Deum assumptisse humanitatem, & distingo consequens: assumpsit hominem, secundum id quod dicit in obliquo, nego; secundum id præcisè, quod dicit in recto, videlicet secundum humanitatem, concedo.

16 Dico nonò: Hæc propositio, *humanitas est homo*, est propositio accidentalis, sicut hæc, *accidens est inherens subiecto*, quæ potest esse vera, & potest esse falsa, de facto tamen semper est vera. Prior pars probatur, quia facit hunc sensum *humanitas est natura humana cum subsistentia*, esse autem cum subsistentia, accidens est quod potest separari: ergo est prædicatio accidentalis, cui veritas, & falsitas potest contingere. De facto veram esse ex eo infero, quod nulla detur humanitas, quod non sit cum subsistentia propria, vel aliena, imò si vna tantum haberet subsistentiam, esse vera, quando terminus *humanitas* poneretur indefinitè ex parte subiecti, quia terminus indefinitè positus in materia accidentali æquivaleret particulari.

17 Dico decimò: De concretis accidentalibus substantiis simplici nomine significatis, sicuti artifex, & creator, non possunt abstracta prædicari. Hæc conclusio est per se nota, non enim dicimus *artifex est arx*: ratio à priori est, quia hæc cōcreta dicitur in recto subiectū, quod à forma distinguitur.

18 Dico undecimò: De concretis accidentalibus, quæ significantur per huiusmodi complexa *albedo in pariete, dulcedo in saccharo* rectè prædicantur propria abstracta, hæc enim est vera prædicatio *albedo in pariete est albedo*, quia dicunt formam in recto, quæ per nomen abstractum significatur, & ita prædicatum harum propositionum identificatur cum illo, quod in recto ex parte subiecti significatur. Ob eandem rationem huiusmodi concreta de propriis abstractis prædicantur, accidentaliter tamen ratione illius quod ex parte prædicati additur in obliquo, hæc enim est accidentaliter prædicatio *albedo est albedo in pariete*.

19 De terminis secundæ intentionis assero, concreta secundæ intentionis prædicari de concretis primæ intentionis, dicimus enim *homo est species animalis est genus*, ita tamen prædicata subiecta afficiunt, vt illa immobiliter faciant supponere, non enim licet prædicatum per inferiora distribui, nec possumus inferre, homo est species: ergo Petrus est species. Prædicantur item concreta secundæ intentionis de abstractis primæ intentionis, dicimus enim *animalitas est genus*, quia cum hæ sint veræ prædicationes *humanitas est animalitas: equinitas est animalitas*, animalitas se habet tanquam genus respectu humanitatis, & equinitaris. Non tamen possunt prædicari abstracta secundæ intentionis de concretis, neque de abstractis primæ intentionis, non enim potest dici *homo est species animalis est generitas*, neque *humanitas est species animalis est generitas*, aut *animalitas est generitas*. Concreta verò secundæ intentionis inter se rectè prædicantur, rectè enim dicitur *vniversale est genus: genus est vniversale, & genus est species*. Tandem dico circa concreta & abstracta secundæ intentionis inter se prædicanda regulariter easdem regulas obseruandas esse, quas tradidimus de terminis primæ intentionis, videndum tamen in his sæpe confundi formas cum subiectis, nam eadem formalitas, quæ modò consideratur afficiens naturam, postea consideratur affecta aliâ formalitate, v. g. generitas, quæ consideratur tanquam forma afficiens naturam, quam denominat genus, potest rursus considerari tanquam subiectum, cui contingit specieitas, ex vi cuius species denominatur, generitas enim species dicitur respectu huius, & illius genericitatis. Ratio est, quia cum hæ formæ, per rationem adueniant, in infinitum ferè possunt procedere, quapropter in re parum vtili non vltra procedam.



CONTROVERSIA IV.

De genere.

ROSTQVAM explicuimus naturam vniuersalis in communi, aggredimur iam explicationem suorum inferiorum in particulari, quæ vulgò quinque prædicabilia dicuntur, quorum primum sibi locum Genus vendicat, cuius naturam præfens Controversia explicabit.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit genus.

Relictis variis acceptionibus huius nominis *genus*, genus Logicum, de quo nostra instituitur disputatio, primò fuit à Porphyrio definitum, *Genus dicitur, cui supponuntur species*; secundò, *Genus est quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur*. Prima difficultas quæ circa hanc definitionem occurrit est, an illa constet genere, & differentiâ; videtur enim generis non posse dari genus, aliàs genus esset species, quod videtur implicare, quia ratio generis, & speciei inter se opponuntur.

2 Affirmant nonnulli in hac definitione nullum reperi genus, quia accidentia & concreta accidentalia rectè per subiectum loco generis constitutum definiuntur. Communis veriorque sententia asserit in hac definitione reperi verum genus, & generis posse dari genus, quod sic euinco. Genus habet hoc quod est taliter prædicari de suis inferioribus: ergo in genere reperiuntur duo conceptus, primus est esse prædicabile de inferioribus, qui communis est quinque prædicabilibus; secundus est taliter prædicari de inferioribus, per quem differt formaliter à reliquis prædicabilibus, & in ratione generis constituitur: ergo genus species quædam est respectu cuius vniversale se habet tanquam genus: ergo rectè poterit per proprium genus, & propriam differentiam explicari.

3 Difficultas primò proposita, & aliæ eiusdem rationis, quæ in hac re molestè obiciuntur, expeditam solutionem habent, si rem attentè inspicias. Respondeo id, quod est essentialiter genus posse accidentaliter speciem denominari per aliam secundam intentionem, quæ accidentaliter illi contingit, sicuti homo qui essentialiter tantum est animal rationale, potest accidentaliter species denominari, quod accidit generi, hoc enim essentialiter est genus, & dicit concretum quoddam constitutum per cognitionem confundentem plures species, sicuti species dicit concretum aliud constitutum per cognitionem aliam confundentem plura indiuidua, quæ rationes essentialiter sunt generi, & speciei. Iam ergo genus, & species sic essentialiter constituta possunt confundi per aliam cognitionem reflexam, ex vi cuius absque vlla distinctione vtrumque cognoscatur significatum per hunc conceptum vniversale, ex vi cuius cognitionis ab illis ratio quædam abstrahetur, respectu cuius veluti species se habeant. Cum verò accidentale sit generi ita confundi per illam cognitionem, quam terminat simul cum specie, quia ex se tantum petit tanquam formam cognitionem confundentem species, & non aliam ad ipsum terminatam, per quam confundatur; hinc est quod accidentaliter denominatio speciei generi conueniat, & non per eandem formam, quia genus constituitur essentialiter per cognitionem confundentem speciem quam intrinsecè includit in ratione generis, & denominatur species per formam extrinsecam, videlicet per cognitionem ad ipsum terminatam, ex vi cuius confunditur cum aliis prædicabilibus, & cognoscitur vniversale tanquam obiectum, & hoc constituit formaliter genus respectu primi prædicabilis, & reliquorum prædicabilium, quæ omnia sunt species vniversales.

4 Ex his inferes genus non ita opponi cum specie, vt generi iam essentialiter constituto non possit alia forma extrinseca accidere, ratione cuius denominetur species, sed tantum opponi secundum formas essentialiter constitutivas vtriusque, ita vt implicet per eandem formam constitui formaliter genus, & speciem, & essentialiter non differre formam constitutiuam generis, & constitutiuam speciei.

5 Ex hac doctrina respondebis alij argumento, quod multum negotij recentibus Dialecticis facessit. Sic obiicitur: Genus definitur per genus: ergo definitur per se ipsum, quod implicat, quia definiri nihî aliud est quam explicari, nihil autem potest per se ipsum explicari. Respondeo genus, neque aliud quoduis definitum non definiri, neque explicari per genus, sed per naturam,

H 4 cui